

magma quoddam terreum remanet. Oleum vitrioli & salis, quæ non nisi spiritus horum mixtorum concentratissimi sunt, majorem quantitatem terræ quod contineant patet, si aqua communis affundatur, tunc enim non solum præcipitatio & dejectio ad fundum plurimarum terrearum particularum contingere solet, sed & ingens calor exsurgit. Tandem quod terra principium constitutivum ipsorum Salium sit, patet ex illorum artificiali compositione, dum nimirum in & ex terris varii generis omnis salis expertibus, aëri expositis varia nascuntur salia, & unus liquor acidus diversis corporibus terrestribus affusus, innumeras salium formas induere aptus est, uti id infra clarius ac fusius tractabitur.

§. XV. Ex hisce jam clarissime intelligitur, salium principia esse duplicis generis, seu illa constare ex duplici materia, nimirum una subtilissimè divisa in minutissima puncta, rigida, mobilissima, à quibus omnis activitas, motus & effectus salium dependet; altera materia salium est ipsa terra, quæ hospitium ac domicilium præbet ipsis punctis minutissimis salinis, ita ut non amplius instar minimorum disjunctorum agant corporum, sed in terrâ unita & concentratâ longe efficacius in corpora agere possint. Jam autem in hac Dissertatione demonstrandum, activum illud salinum principium, ex quo omnium salium virtus, activitas, & velocissimus corporum motus dependet, saltem unicum esse nimirum sal. universalissimum hujus mundi, æthereum simplicissimum, ac spirituosissimum, ad naturam acidam prorsus accedens. Hoc sal primogenitum totius naturæ instrumentum, omnisque motus ac fluidi-

Principia salium constitutiva duplicis generis, terra & Sal æthereum: ab hoc omnium Salium Virtus pendet; & natura ejus in Acido consistit.

C

tatis-